



757427

DEFENDERVNT

D. D.

ANTONIVS de Boros-Jenő.

JOSEPHVS de Eadem.

JOSEPHVS de Alsó - Szilvágý,

MI. COM. GEORGI FESTE-

S de Tolna Stipendiatus.

*hiae Tertium in Annum Auditores.*



DEFENDERVNT

D. D.

ATZÉL ANTONIVS de Boros-Jenő.


FÁY JOSEPHVS de Eadem.

GAAL JOSEPHVS de Alsó - Szilvagy,  
ILLMI. COM. GEORGH FESTE-  
TITS de Tolna Stipendiatus.


*Philosophiae Tertium in Annum Auditores.*



757427



## EX COSMOLOGIA.



1.

**C**OSMOLOGIAE obiectum est vniuersum, quatenus id vnum compositum efficit. *Fontes* Cosmologiae sunt ratio, et experientia: *Finis*, vt perspecto vniuersi nexu, et ordine, Auctoris naturae maiestas tanto luculentius pateat. Methodus eius tractandae *analytica* est, aut *synthetica*.

2.

Stupendam esse mundi huius extensionem, ex obseruationibus Astronomorum nouimus: at quoniam tam numerus realis infinitus, quam spatium, vti et tempus reale infinitum repugnat: et hunc, et quemcunque demum mundum *finitum* esse oportet, item *contingentem*, et *mutabilem*.

3.

Mundus existens nonnisi vnicus esse potest: plures tamen sunt posibles, si de existentia eorum successiva sermo sit.

4.

Partes mundum constituentes partim entia simplicia sunt; partim composita. Elementa corporum sunt substantiae simplices, et inextensae: quare nec oriri possunt, nisi ex nihilo, nec interire, nisi abeant in nihilum.

5.

Nec repugnat, eadem elementa esse homogenea.

6.

Monades in se mutuo agere certum est: at, quod Leibnitzius volebat, easdem vi repraesentandi praeditas esse, nec ratio, nec experientia euincit.

7.

Elementa, eorumque nexus essentiam corporum absoluunt: nihil in corporibus substantiae est, praeter elementa.

8.

Corpus omne est *finitum*, et *contingens*, vnde et *mutabile*.

9.

Ens simplex non potest alteri esse contiguum, quin compenetretur. Vnde eluce-

scit, systema Zenonis, extensum continuum ex punctis inextensis componentis, sustineri non posse.

10.

*Terminus* continui, qua terminus, caret partibus. Hinc terminus, continuum dirimens, est communis vtrique parti.

11.

Quodlibet *continuum mathematicum* est in infinitum diuisibile. Vnde luculentum fit, quodcunque ingens spatium quocunque exiguo tempore, a mobili percurri posse. Quae tamen in infinitum diuisibilitas ad corpora extendi non potest.

12.

Spatium aliud *imaginarium* est, reale aliud: illud concipitur tanquam *extensum*, et quidem *infinitem*; tanquam *continuum simile*, cuius quaeuis pars in infinitum fit diuisibilis; tanquam *aeternum*, *necessarium*, et *immobile*: non tamen est quidpiam *reale*, vt Henricus Morus, alique censuerunt. Quare sublatis rebus spatium hoc non tollitur.

13.

At spatium *reale* est ordo simultaneorum, quatenus haec sibi coexistunt in serie physice continua: quare sublatis rebus tollitur; repositis vero reponitur spatium reale.

14.

Ens compositum explet spatium, non  
item ens simplex.

15.

Non repugnat; immo datur reapse in  
hoc mundo spatium vacuum, contra, quam  
Cartesius existimaverit.

16.

Tempus *reale* est ordo successiuorum  
in serie continua; quare positis rebus, serie  
continua sibi succedentibus, ponitur tem-  
pus reale; sublatis tollitur: aliter de tem-  
pore imaginario sentiendum.

17.

Motus externarum entis ad datum spa-  
tium relationum mutatio est: non fit mo-  
mento, sed tempore quopiam continuo.

18.

Per solam vim adtractiuam elemente-  
rum nullum corpus est possibile.

19.

Datur actio in distans.

20.

Omnis mutatio materiae ratione spatii  
habet causam aliquam externam. Quare  
*Hylozoismus* non subsistit.

21.

Repraesentatio nec est motus, nec ef-  
fectus motus, nec resultat ex mechanismo  
corporum, vt putavit Hobbesius.

Mundus hic nec quoad *materiam*, nec quoad *formam* potest esse aeternus. Vnde perspicuum est, systemata *Xenophanis*, *Atomistarum*, item *Anaxagorae*, et *Aristotelis* de origine mundi subsistere non posse.

23.

Quapropter mundus hic causam suam efficientem habere debet: quae non potest esse alia, nisi Ens necessarium.

24.

Mundus hic est diuersus a sua causa efficiente, neque est huius vlla determinatio interna, vt voluit *Spinoza*.

25.

Materia huius mundi non est orta a Deo per *Emanationem*, vt Orpheus, alique veteres existimabant, sed per creationem.

26.

Entia huius mundi multiplici nexu inter se iunguntur: nempe *ratione temporis*, *ratione spatii*, *vniuersali*, *particulari*.

17.

Non datur in hoc mundo casus purus.

28.

*Fati* nomine ineluctabilis euentuum necessitas venit: cuius necessitatis vt varii varios fontes deprehendisse sibi videbantur, ita vario *fati* genere mundum premi

conferant: unde *Fatum Astrologicum, Atomisticum, Stoicum, Spinozisticum, Muhammedanum*. At nullum horum potest sustineri.

29.

*Natura uniuersi* est absolute contingens, vti et *leges, ordo, et cursus* naturae: quae tamen *contingentia absoluta* necessitatem *hypotheticam* non excludit.

30.

Obtinent in hoc mundo *leges* quaedam *Cosmicae* dictae: in quibus censetur *lex continui, saltum* in natura *absolutum* excludens, praesertim in mutatione celeritatum, in incrementis, et decrementis: at non nimis extendenda.

31.

Eo etiam pertinet *Lex Parsimoniae*, naturam nihil agere frustra, enuntians: quam stupenda feminum copia haud labefactat.

32.

In iis pariter censetur *Lex conseruationis*, in rerum natura nihil interire asserens: quae quidem de substantiis, earumque viribus intelligenda est: ad vires substantiarum deriuatiuas, vti et ad mutationes formarum applicari profecto non potest.

33.

Lege demum *constantiae* stabilitas legum, semel ab auctore naturae latarum exprimitur. Hac omnis certitudo physica nititur. Quae adhuc a Leibnitzianis adferri solent, nempe *lex varietatis*, item *lex unitatis in varietate*, non eandem apud omnes auctoritatem habent.

34.

Miracula veri nominis possibilia sunt: quae si fiant, sola vi infinita efficiuntur.

35.

Finis vltimus conditi mundi est manifestatio perfectionum diuinarum.

36.

Mundus iste suo in genere est perfectus.

37.

Non tamen omnium possibilium perfectissimus.

## EX THEOLOGIA NATVRALI.

38.

Existit Deus.

39.

Pluralitas Deorum repugnat. Hinc Deus vnicus est: vnde facile intelligitur, et *polytheismum*, et vetustam Zoroastris doctrinam de duobus principiis nullo niti fundamento.

Deus nec ipse ex partibus compositus est, nec ullius compositi pars esse potest. Est proinde ens simplex. Vnde elucet error *antropomorphitarum*, vti et veterum quorundam, Deum *animam mundi* stantium.

41.

Initium existendi, aut finis enti necessario repugnat. Deum proinde aeternum esse oportet.

42.

Deus est *immensus*, sive hoc nomine *incomprehensibilitatem*, sive *omnipraesentiam* intelligas: at extensio infinita intelligi non potest.

43.

Deus est absolute immutabilis.

44.

Nouit Deus omnia tam *actualia*, quam *possibilia*, et quidem actu vnico, et simplicissimo; est proinde omniscius, quae eius omniscientia extenditur etiam ad actus hominum futuros liberos: quin tamen haec eius praescientia libertatem actuum humanorum labefactet.

45.

Est in Deo scientia finium, et mediorum adaequata: ac proinde est sapientissimus.

46.

Voluntas Dei est immutabilis, simulque in iis, quae extra se agit, liberrima.

47.

Attributa, quae ex voluntate Dei intelliguntur, sunt: *Sanctitatis, Bonitas, Iustitia, Misericordia, Veracitas*: quae omnia summa in Deo esse, ex notione entis infinite perfecti suapte intelligitur.

48.

Est in Deo vis omnibus possibilibus extra se producendis sufficiens: ac proinde Deus est omnipotens.

49.

Creatio est actio, qua causa efficiens substantiam pure possibilem facit existentem. Vis creandi soli Deo est propria.

50.

Deus substantias huius mundi, vti etiam earum vires assidue, idque *directe* conseruat.

51.

Pariter ad omnes actiones causarum creatarum concurrat, et quidem concursu *immediato*.

52.

Deus mundum hunc sapientissime *gubernat*: quae eius gubernatio tam ad omnia obiecta extenditur, quam ad omne tempus.

Gubernatio Dei circa creaturas rationales etiam *specialis* est. Gubernatio *extraordinaria* nec in se impossibilis est, nec Deo indigna.

53.

Nihil est in hoc mundo, quod non *providentiae* diuinae subiaceat: nec eam diuersa, quae in hoc mundo sunt, mala dubiam reddere possunt.

54.

Et natura animae humanae; et attributa Dei euincunt, eam esse immortalem.

55.

Religio est cultus summī amoris, et obsequii, ei praestitus, cui debetur: *naturalis* est, vel *reuelata*: utraque in *theoreticam*, et *practicam* diuiditur.

56.

At sola naturalis non sufficit homini ad finem suum perducendo; quare necessaria est reuelatio.

